

quit: Spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? etiam sic illa spiritus & vita sunt: sed tibi non sunt. Quae est manifesta descriptio fructus divini verbi, qui non sequitur carnalem intellectum, sed spiritua-lem. Et sic Apostolus Hebr. 4. vocat verbum DEI vivum, nempe ex in-
sita à DEO efficacia: quod vivum esse non definit (per se) etsi vitam non efficit in auditoribus contumacibus, propter eorum duritiam & pertinaciam. Nam ipse DEUS vita est & manet ἀυτοζών, quanquam multos non vivificat. Verissimum igitur est, quod dixi, Stapletonum & Pistorium peccare Elencho accidentis: Et ex negato effectu per acci-
dens, negare propriam & per se verbi divini efficaciam & virtutem. Dicant nunc illi eodem modo, Christi verba ad Judaeos fuisse vanas literas & inanes sonos, quia illi non fuerunt conversi, sed perstiterunt in impœ-
nitentia.

CAPVT II.

DE DEO.

An detur in omnibus hominibus Notitia de DEO insita?

Notitiam DEI insitam negant maxime Photiniani. Ipse Socinus Prælect. theol. cap. 2. Receptior, scribit, hodie sententia est, homini naturaliter ejusque animo inesse, sive insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur, ac gubernentur, quæque humanarum rerum imprimis curam gerat. Hanc sententiam falsam nos esse arbitramur: consimilia leges apud Ostorodum institit cap. 1. pag. 10. & Crollium Libr. de DEO & Attributis divinis cap. 5. Matthias Flacius Illyricus in Clave Script: sub voce Legis p. 563. notitiam insitam, si aliqua detur, plenam Errori, deceptorium & fallax Lumen vocat, imò, non haberi jam innatam aliquam Notitiam de uno, vero DEO, creatione & providentia, asserit. Quid Daniel Hofmannus, Wenceslaus Schillingius, Schraderus & alii moverint in hac Materia, & quomodo illam impugnarint, ex Scriptis illorum & Jacobi Martini Libro, cui titulus Ver-nunft Spiegel constare potest. Sed Orthodoxi aliam muniverunt viam, aliam triverunt orbitam; nam primò, Paulus diserte testa-tur, γινώσκοντες τὸ Θεὸν esse φανερόν manifestum in illis, scil. gentilibus,
DEUM